



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd nolentibus clericis, vel populis nemo debeat episcopus ordinari. vii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

purgandum eum, qui ordināus est, tres episcopi iam, sed postulētur ad numerum supradictorum si haberi possunt duo, in eadem plebe cui ordinandus est, & discutiantur primò personæ contradicētium. Postremò etiam illa quæ obiiciuntur, pertractētur. Et cām purgatus fuerit sub cōspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignatiōis responsione. Ab vniuersis Episcopis dictū est: satis placet.

Quòd nolentibus clericis vel populis nemo debeat Episcopus ordinari. Cap. VII.

NVLLVS inuitis detur Episcopus, cleri, plebis & *Ex decr. Celestini papa, ca. 18.* ordinis consensus, & desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis cui est Episcopus ordināus, nullus dignus, quo deuenire nō credimus, potuerit inueniri. Primū enim illi reprobādi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat vnusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægrauari. Et quos sibi ingeri ex transuerso cognouerint, non timeant refutare, qui si non, debitum præmium, vel liberum de eo qui eos rector est, debent habere iudicium.

Qui Episcopi sunt ordinandi, quòd debeant prius examinari. Cap. VIII.

QVI Episcopus ordināus est, antea examinetur, si *Ex cōcil. Carthaginensi, cap. 1.* natura prudēs est, si docibilis, si moribus tēperatus, si vita castus, si sobrius, si semper sui negotii cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege dñi instructus, si in scripturarū sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus. Et ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus adserat, id est, patrē, & filium, & spiritū sanctū, vnum dñm esse cōfirmans, totāmq; in trinitate deitatē, coessentialē, & cōsubstantialē, & coæternalē, & cōomnipotētem prædicans, singulāmq; in trinitate personam plenum Deum, & totas tres personas, vnum Deū. Si incarnationem diuinā non in patre neq; in spiritu sancto factā, sed in filio tantū credat, vt qui erat in